



283

26

JOANNIS CASELII

*Summo et doctissimo viro. Dn. M.*

24

AD ILLUSTRISSIMUM PRINCIPEM JOANNEM

DN. HVLDERICVM, *Sigismundo.*

SERENISSIMI REGIS DANIAE FRI-

*Supremi*  
derici II. filium, heredem

Noruegiae, Ducem

Holsatiae. etc.

*Andreas Garbiano. Amico*

EPISTOLA GENETHLIACA *pervictoria.*



*Joan. Naenick*

Helmæstadii

In Academia Iulia. clō Io xcll.





PLATO.

Eiusmodi vita, in quam nec ipse  
quis, nec alius animaduer=  
tat sedulo, indigna  
est homine, et ne=  
mini nostrum  
optabilis.





ILL. <sup>mo</sup> principi Dn.

HVLDERICO

Duci Megapol. etc.

dn. suo cl.



Mnes te passim, dux HVLDERICE, intelligentes viri multis nominibus verisque de causis beatum prædicant: in quibus nomen meum sine adulatione, opinor, rectè ipse quoque profitebor. Cum enim corporis animique tui dotes, & bona cætera, quæ fortunæ nominantur, ab adolescentia propius adspexerim, & accuratius apud animum perpenderim: nihil mirum, si in sermone ad amicos, & ingenij mei monumentis, felicitatis tuæ, prout commodum fuit, aut quodque occurrit, & sæpè & gratè, & verè mentionem feci: quod factum à me semper parcè intraque modum fuit, quo magis constaret, me omnia veritati tribuere. Simul & mihi maiorem reseruarem copiam laudum tuarum, & aliis aliquas earum expoliendas traderem. Nec institui verò plærasque hic exponere. Neq; enim hoc in os, ut dicitur, fieri oportet: atque insuper nasceretur mihi volumen pro epistola, si, ad domesticas publicasque virtutes tuas explicandas, calamus pararem. Cogitanti autem his diebus de iis, quæ ad nepotem tuum HVLDERICVM regis Daniæ filium, principem nobilissimæ indolis scriberem; venerunt etiam in mentem, cum alia, tum hæc, quæ in te iure mecum alii quoq; mirantur præ aliis. Felicem iudicamus, qui ista ætate corpus circumfert mor-

A 2

borum

horum expers, etiam attenuatis viribus: feliciorum igitur te, cui cum animi, tum corporis vires abundè suppetunt. Id quod argumentum credimus, non solum bonitatis naturæ, sed etiam vitæ in adolescentia temperanter & absque voluptatum studio in laboribus laudabiliter actæ. Talem verò senectam tali adolescentia præmii loco diuinitus propositum esse, intelligimus. Sed eam felicitatem multis modis superat altera, quòd vniuersa Megapolis ab annis sanè multis in te solum siue potissimum oculos coniecit, tuaque vita viuit, tua salute salua est: ac præterea non solum imperium Germanicum, cui ut patriæ debere te intelligis & præstas omnia, sed etiam vicinum trans mare opulentæ potentisque Daniæ, paulò antè generi, regis Friderici II. nunc regis Christiani, IV. nepotis tui regnum, à te consilium auxiliumque expetit. Accedit tertia, de qua non contendam, illi inè maior an minor sit, quòd filia regina superstite, nepotes neptesque florere omnibus rebus vides: quæ res tibi quotidie mille voluptates, easque solidas in animo parit. Nec dicam de singulis: nec de rege, quem nominasse hic mihi satis sit. Ad principem HVLDERICVM redeo: nec eius laudibus epistolam complebo, quas cum ex aliis veras acceperis sæpius, tum etiam aliquando ex meis litteris. Indoles in puero, animus, mores, studia, profectus, omnia egregia; principemque promittunt & magnū & bonum. Id altero abhinc anno, cum studiorum causa primùm veniret in hanc Academiam Iuliam, statim deprehendimus. Eandem enim coniecturam omnes fecimus: quòd animaduersu nihil esset facilius aut manifestius. Ego vero, memor beneuolentiæ, qua me profecuta fuisset Megapolis, & beneficiorum, qua ipsi duces per liberaliter ornauissent; vtrò me ad nepotem tuum obseruandum conuerti, sed animi grati declarandi gratia. Neque verò in hoc curiosus, aut ambitiosus videri potui.

potui. Id studium ab ipsa regina intellectum, ita ei gratum accidit, ut in eo me confirmarit, non litteris solum, sed etiam minimè à me expetito præmio. Nec me fugit, quàm idem pro eximia tua prudentia & perpetua humanitate ipse etiam probâris. Igitur quod cœpi, in eo perseveraui: nec puto me quoque nihil nepoti tuo profuisse: etsi mihi partes non nisi secundas, tertiasue sumpsi. Fuit autem in hunc diem cura hæc nostra, & perpetua, & iucunda, & felix. Cum igitur apud animum gratularer & principi & matri & auo, gaudis quoque mihi fui, quod nescio an sine suspitione arrogantia ab omnibus possit accipi, de hac siue occasione, siue felicitate: qui eum diem viderim, quo referre perexiguam, vt modestè loqui solemus, vel haud leuem, si de re, vti se habet, mihi licet verba facere, gratiam principibus, & in hac fortunæ tenuitate, & conditionis præ vestra humilitate, de regum filiis benè mereri possem: vt quis è vulgo dicat, exspectatione honoris aut pecuniæ, vt mihi conscius sum, non alia de causa, quàm quæ à me exposita est. Eundem ego conatum etiam in hunc diem vrgeo, atque hoc studium & rectum, & gratum, ac deinceps quoque mihi demandatum, nec è manibus, nec ex animo demittam. Etiam cum per valetudinem domi me continerem; eam curam non grauem mihi, sed optatam, non seposui: scripsi pauxillum nactus otii ad principem HVLDERICVM hanc non tam gratulationem, quàm cohortationem. Multum est, quòd sub pubertatem talia audit, talia legit, & intelligit, & libenter cognoscit, ex quibus animum moresque & informare & confirmare mirificè & hoc tempore possit & in futurum. Fructus autem ferre doctrinam veros et vberes tum iis, qui rectè educantur, tum spacium virtutis ingressis, tum negotia omnis generis tractantibus, sanus nemo dubitat: etsi plerisque nulli vsui est, siue iam perditis siue saluta-

uia præcepta adspernantibus, quos cū ægrotis cōparare liceat,  
 dolorem fortè mortemque horrentibus, at magno animi  
 errore, certoque suo malo effudentibus, si quid ebibere  
 medicus iusserit: sed id hic euincere, nec opus, nec mihi  
 animus est. Opto, ut princeps HVLDERICVS præcepta  
 sapientiæ, & à me deprompta & passim, sed præcipuè in au-  
 reis veterum monumentis tradita, nunquam negligat, &  
 semper in precio & conspectu habeat: tibi verò dux HVL-  
 DERICE, probari animum studiumque; siue officium meum,  
 cur dubitem, non video. Nihil me audacius, nihil esset stul-  
 tius, si tanto principi ostenderem, quod minus gratum fore,  
 suspicarer. Vale, et felicitate ista diu perfruere, qua populi &  
 tui & alii felices ipsi quoque sint. Helmaestadio ex Acad.  
 Jul. XV. Kal. Feb. cIo Io xcII.

### Oraculum Platonis.

**T**is ποτε πᾶντα κακῶν κτ' κόμης ἢ κτ' χάρις  
 ἐν πόλεσιν κἀρχαῖς δειλοῖς θνητοῖσι γήριτο;  
 ὡς τῆς ὀλίγῃ ἐλπίς κέρη τε τέτυκται;  
 ἀλλὰ κ' ὡς εὐδαιμονίῃ λαοῖς τε πόλει τε  
 ἀνθήσκει, ἢ ὅταν σοφοὶ ἄνδρες σκῆπτρα φέρωσιν,  
 ἢ ὅταν εἰλικρινῆ σφίλω τιμῶσιν ἀληθῶς  
 οἱ ἤδη βασιλῆες ἐπωνυμίῃ τε κρέττη τε.

Λωδίνης Θεοφίλιος

Illustris.



Illustrissimo Principi,  
DN. HVLDERICO  
Serenissimi regis Daniæ Friderici II. filio,  
heredi Noruegiæ, Duci Holsatiæ &c.

D. S. CL.  
S. D.

Ioannes Caselius.

Illustrissime Dux, Princeps  
clementissime.

**M**ulta quotidie ex iis accipis, quorum fidei creditus es, quæ tibi salutis sint. Omnia enim diligenter exquiruntur, & fideliter administrantur, neque quidquam eorum, quod ad educationem tuam facere possit, prætermittitur. Namque et corporis valetudinisque tuæ, et morum, animi, mentisque habetur ratio: nec ea negliguntur, quæ multò per se sunt inferiora, & non nisi ad splendorem pertinent, et seruantur nimis adeo religiosè apud gentes etiam minus cultas. Horum vero ea habetur ratio, quæ cum conditioni dignitatiq[ue] tuæ,  
tum



tum etiam ætati & educationi institutæ conueniat, vt neque luxus appareat, nec quid tenue esse cuique videri possit. Sed ego omnem hanc partem relinquo. De iis vero etiam, quæ præcipua sunt, nempe de informatione animi tui, si loquar: quoniam indies fiunt, quæ debent omnia: superuacanea videatur esse opera mea, si quam sumam extra ordinem. Inutilem tamen haud existimem, quæ in præsentite exhilarare, & in futurum mirificè adiuuare possit. Monuit autem me & commouit hic dies tuus. Cogitabam enim de moribus omnium, ni fallor, & gentium & sæculorum. Natalem vbique sacrum seu festum habent omnes, & benè ponere, vt præ se ferunt, certè hilariter solent: multi etiam de plebe, sed cum primis Principes & fortunati viri. Nec tamen agendi natalis veram rationem multi tenere, paucissimi vero sequi mihi videntur. Hic ipse non reprehenderim, neque reprehendendum censeam, quòd familiares ad epulum magnificentum vocantur, quòd ibi pro salute vnus vota faciunt solemnia. Quod si me audire voles, vt benè monentibus semper audiens esse consueuisti

fueuisti, non hoc solum, nec potissimum tibi  
 curæ erit natali tuo, sed maius quiddam, & an-  
 tē omnia ages: id videlicet, quod olim nullo  
 die negligebant in vetere Græcia studiosi sapi-  
 entia. Sic enim præceperat auditoribus suis  
 Samius sapiens, vt quotidie ante, quàm so-  
 mnum caperent, quisq; apud animum repete-  
 ret: ecquid in se admisisset: ecquas partes ex-  
 plesset officij: ecquid officij omisisset. Sic e-  
 nim futurum existimabat, (nec fieri aliter po-  
 terat) ut qui sanctē eam consuetudinem obser-  
 uaret, postridie se esset melior, quàm fuisset  
 pridie, procedente indies rectæ vitæ & ratione  
 & crescente studio: atque ita vnusquisque non  
 solum benè beateque viueret priuatim, sed e-  
 tiam respublica felicior esset & firmior. Quod  
 enim singuli facerent, id vniuersis bono cede-  
 ret. Cum autem hoc institutum, & huiusmo-  
 di disciplina ciuitatis, siue priuatæ domus, ho-  
 die nusquam esse comperiatur, in multis sanè  
 gentibus vix vnum reperias, aut alterum, qui  
 hoc sibi proposuerit, aut religiosè custodiat:  
 non erit de nihilo, si quotannis vnusquisque,  
 si non de plebe, quid enim de vulgo nobis pol-

B

licea-



liceamur? sed eorum, qui virtuti nomen de-  
derunt, aut se dedisse profitentur, id imitetur,  
& cum in se inquirat, tum consilium de futuro  
capiat. Diligens paterfamilias hanc fortè ra-  
tionem sequatur in re domestica. Consideret  
enim non quoque anno, sed quoq; mense, &  
fortè quoq; die, quem sumptum fecerit, quid  
in re familiari habeat, quid cui debeat, qui-  
bus egeat, vnde in posterum cætera comparet.  
Intueatur mihi quis exemplum auaritiæ, quæ  
talia multò enucleatius rimatur, nec momē-  
tum præteruolare patitur, quin aureos, atq;  
etiam æs minutum cogitet. Iam quantò no-  
bilius est studium nostrum, quantoq; magis  
ad nos pertinet; tantò maiorem de eo curam  
nos decet suscipere, & si modo velimus ani-  
maduertere, necessariū est. Cum autem nul-  
lus anni dies ad hanc rem magis idoneus mihi  
videatur, quàm natalis, quem, vt dixi, obser-  
uare & in festis habere consueuimus, idcirco  
hoc natali tuo te potissimum alloqui, & con-  
siliū vetus apud te vrgere constitui, partim  
vt tibi gratuler, partim vt de quibusdam te  
moneam. Non gratulabor autem, potissimū  
de bo-

de bonis, quæ vulgus sola admiratur: quæ fuerunt de priscis sapientibus, qui in bonis etiam numeranda non censuerint, ac propterea neutra dixere, nos omnium iudicia non refutamus: quod regis filius es, quod ista forma oris: quod firmus corpore, quod tibi omnium rerum copia suppetit: quanquam de iis gratulor: quoniam singularia sunt, & prorsus rara, quibus uti præclare queas, in omnibus virtutum actionibus: quo genere tamen multos turpiter abuti videas: quanto videlicet difficilius est fortunato & potenti probum esse & integrum. Cum primis autem tibi gratulor de indole, de studio, de profectu: nec de iis tamen ita multis dicam. Nemo enim ignorat, quàm diuino ingenio sis præditus, quod etiam si cum sexcentis comparetur, ut in stellarum exercitu aliqua clarissima, promicet. Id studium colis, quod pater, rex sapiens, cū viueret, constituit, quod regina superstes te iubet profequi: non nisi liberale, nobile, regium, diuinum, pulcre respondens & conueniens ingenio: litterarum & virtutis dico. Nullum est genus liberalis doctrinæ, quin ipsum ames & magnificias:

B 2

colis



colis autem ex omnibus, quod regium est,  
aut regiis litteris inseruit: & virtutem colis itē  
regiam, quæ quàm proximè ad principem re-  
gum, & vniuersitatis moderatorem accedat.  
De profectu ero parcior, nec quicquam dabo  
auribus tuis, qui ne potentissimo quidem re-  
gum adulari soleam, nec debeam. Cum e-  
nim nihil sit turpius, & quouis homine indi-  
gnius, maximè viro bono & erudito litteris,  
tum verò nihil est à moribus meis alienius.  
Sed insistā vestigijs instituti Pythagorei, vt ve-  
niā quo volo, quod tu quoq;, dum hæc legis,  
expectas, taciteq; ni fallor, ipse flagitas. Du-  
plex est autem ea consideratio, ad quam ego  
te inuito, altera peccati, altera officij. Sed cū  
peccetur & mala agendo, & recta negligendo:  
tu per ætatem istam, & custodes pueritiæ  
tuæ, nec improba in animum inducere, neq;  
non illis obtemperare potuisti. Cum igitur in  
hunc diem nihil ferè à te peccatum sit, neq;  
tua culpa aliquid neglectum: immo nihil ferè  
neglectum suspicor, cum te semper in officio  
tenuerint, sine violentia, comitate sua, qua-  
rum ex partes fuerunt: non est hodie quicquā,  
quod

quod te animi crucies, sed quod gaudeas, nos-  
 que tecum gaudeamus, tibiq; gratulemur:  
 quod sane facio, communi quoque nomine.  
 Nec enim affirmarim, me gaudere plus cæ-  
 teris, & scio tuos non minorem ex ea re cape-  
 re voluptatem, atque ipse capiam. Quanto  
 maiore lætitia afficimur, quando nihil, aut, ne  
 ego te in hac pueritia deum facere videar, vix  
 aliquid, quod perparum esse necesse est, desi-  
 deramus: sed contrà eum profectum videmus  
 quem speraueramus, tum in litteris, tum in  
 moribus? Nolumus enim te in illis absq; his  
 proficere, sed his illos erudire & perficere vo-  
 lumus. Non asseuerem te, vt cæterarum ex-  
 pectationem iamdudum superas, ita nobis  
 semper, & prorsus satisfacere: quòd fortasse,  
 quando tibi familiares sumus, quotidianas ac-  
 cessiūculas minus animaduertimus, vel quòd  
 te cupimus fieri quàm perfectissimum. Hæc  
 etiam est patrum ratio siue natura, vt quamuis  
 in omnibus filios probent, tamen eos melio-  
 res, omnibusque rebus ornatiores esse cupiāt.  
 Qui autem spectant, quæ agimus, siue quæ tu  
 agis, atq; ii magis, qui ex interuallo adueniunt:

B 3

ijs

iis ita satisfacis, vt cum te admirati prædicent,  
tum singulariter in te affecti, noua sibi de te,  
& præclara polliceantur, siue rempublicam  
administres aliquando, siue imperatoriæ in-  
cumbas. Mores agnoscunt elegantes & regi-  
os: qui spirent simul animum similem: de quo  
& nos speramus, tam subito affirmare non  
audemus: non multò post affirmabimus: be-  
nè, ut ostendi, hætenus speramus, & bonam  
spem de te omnibus facimus. Quod ad litte-  
ras; in Latinis te benè profecisse, cur dissimu-  
lem? quod ab omnibus animaduertitur, siue  
aliquid legas, siue pronuncies, siue disputes,  
siue cum hospite vel nobiscum loquaris, siue  
scribas aliquid. Hoc magnum non negem,  
sed qui in eo omnia esse posita sentiunt: næ il-  
li parum intelligunt. Non enim, qui hoc  
adeptus sit, aut etiam in eloquentiæ possessi-  
onem peruenerit, scopum contigit, quisquis  
ille sit: nedum regis filius, qui non ad priua-  
tam vitam, sed multò magis ad fulciendam  
remp. educetur. Nec vero tamen dubium  
est, quin tu hac re magnum iam operæ preci-  
um feceris. E carceribus enim existi, iamq;  
curris



curris id nobile sapientiæ spaciū: qui non solum linguam Musarum intelligas, sed multa etiam præterea, quæ sermone continentur, & diuinitus explicantur, ad te pertinentia. Accedis enim ad poëtas, non vt ad aliquos fontes salis & facetiarū, etsi hoc genus condimentum non adspernabimur, sed ut ad riuulos veteris sapientiæ, turbidos forte alicubi, sed passim illimes & limpidos: quod iam partim ipse vides, partim ex monstratoribus accipis: qui quasi pungentibus spinis remotis, rosas & fragrantas & salubres decerpendas tibi ostendimus. Quàm vero erudita? quàm pulcra? quàm vera & vtilia vitæ præcepta accepisti è disciplina Cyri? quàm à Xenophonte ad effigiem iusti imperii compositam te docuimus ex Latino scriptore, ab Halicarnasseo dictam regis boni beatiq; imaginem: vnde causa patet, quare eū librum Scipio Africanus de manibus ponere nunquam solitus fuerit. In eo sunt hodie quædam tibi, tuisque æqualibus accommodata: alia erunt vobis, cum in vita priuata tum in administratione Reipublicæ vbi adoleueritis maximo vsui: quod aliquando ex re ipsa intelliges.

Eius

Eius quoq; generis sunt, quæ modo accipis ex libro M. Tullii ad Q. fratrem, tertium iam annum præturam gerentem in Asia, de continētia, vitæq; integritate, de moderatione animi, de iustitia & meritis erga populos. Ad aliam porro vberiore doctrinam, ad historiam videlicet deducēris: quam esse magistram vitæ, emendatricemq; consiliorum, & audiuiſti sæpius & experieris in omnibus vitæ actionumque tuarum partibus. Dabitur etiam opera, ut eam non discas ut multi, qui nec loca, neq; tempora cognita, neq; finem sibi habent propositum, qui verus sit & vltimus. Honestè nō mali viri tempus ita fallunt, & voluptatem nō parvam ex consideratione vicissitudinis rerum humanarum capiunt. Sed vitam ex aliorum actionibus & cum successibus tum calamitatibus emendare, ad vtramq; fortunam tolerandam animum corroborare, ne secunda diffluentes pereamus, aut aduersa effœminatè succumbamus, consiliorum deniq; copiam, quibus in priuatis & publicis rebus vtamur, parare, hic finis nobis erit propositus, nec cuique in eo studio versanti, dimittendus ex oculis.

lis. Verum hæc ipsa & alia, quæ aggredi te deinceps oporteat, ipse etiam cogitabis: in quibus cum adhuc præ iis, quæ cognoscenda sunt in posterum per ætatem parum videas, nos audies, qui non nihil intelligere videmur: certè, quod te nunc iuuet, in promptu habere existimamur, nec fanè nobis longè petenda sunt, quibus hodiè eges: hoc tamen curæ est, nec sine cura diligentiaq; præstari potest, vt à quibus minimè abhorres, cum condimentis accipias. Quantò enim facilius cumq; maiore desiderio ea capies, tantò pleniora hauries. Porro, cum quas dixi in te sint ante pubertatem litteræ, & tecum vna videantur accrescere, dubitare nemo potest, quin paucis annis non inter reges solum, sed etiam doctus futurus sis inter doctissimos. Quod si hoc modò non rectè præuiderimus, non magnus erit error ille noster, etsi in imperitorum & maleuolorum reprehensionem nullo nostro merito incurreremus: vt multi ex alienis peccatis vapulant: nec quid est frequentius, quàm magistros accusare, quorum alumni vel perierint, siue propria sua siue aliena culpa, vel minus ad bonam frugem

C

perue-



peruenerint. Foret equidē turpe, exspectationi bonorū non satisfacere. Etenim à te ipso, non iam vulgo, cuius nos iudicio non semper stare oportet, sed intelligentibus, quorum censurā contemnere, & susq; deq; facere nefas est, descuiisse videreris: quæ est defectio- num turpissima, si quis à studio transeat ad otiū, à labore ad libidinem. Hoc igitur tibi curæ cordiq; erit, saltem ut fuit hactenus. nec solum tamen, sed magis aliquid aliud: quod & ipsum cuiusmodi futurum sit, ex moribus probitate- que huius tuæ teneræ ætatis quodāmodo præ- scire possumus. Atq; hæc profecto certiora si- gna sunt, quàm quibus nituntur physiogno- mones: neq; tamen vel ipsa certissima. Sunt autem certiores, ac pænè dixerim certæ notæ, quæ in quolibet erumpunt ea ætate, qua quis sui iuris factus, sibi vt plurimum viuendi ma- gister est: qua ætate ferunt arduam deliberati- onem instituisse, quemadmodum vitam por- ro ageret, Iouis filium, mirè eius animum ob- uis in solitudine, voluptate & virtute distra- hentibus. Nota enim tibi sunt, quæ suauissi- ma oratione Xenophon ex Prodico de Her- cule

cule memoriae prodidit. Ea meminisse quoque debes, ut paulò post tantum heroem feliciter imiteris. Quod si enim ad viuum exprimere, & omnibus lineamentis representare non possis; multum feceris, si eius aliquam imaginem, nostro saeculo apud hasce gentes nobis adumbraveris. Namque in simile certamen & tibi breui descendendum crit. Nec vero id leue esse existimes, quod non cum hoste quopiam altero, aut cum immani nos ad oriente bellua committitur: sed in quo ancipiti admodum pugna, quis secum ipse, siue in quoque ratio cum libidine certat: quando etiam mori fatius sit, quam non victorem euadere. Namque in quo ista aetate succumbat ratio, is non tam non vivere, quam miserè vivere, in perpetuum putandus est. Igitur ad hoc te para, ut victor euadas, & tum illud alterum, quod summè esse dixi necessarium, constituas ita firmiter, ut quoad viues, à nullo homine, nullaque re, conuelli possit. Verùm animaduerte princeps, quid velim. Omnem scientiam contineri nomine sapientiae intelligis. Hæc etsi reuera absque virtute existere non potest; tamen quædam eius

C 2

siue



siue similitudines, siue particulae sunt in impro-  
bis, saepeq; in pessimis mortalium. Quod si  
sapientia absq; virtute esse possit, absq; hac il-  
la optabilis neutiquam sit. Conabor autem i-  
dem tibi denuo exponere, vt magis videatur  
consentaneum, & ad intelligendum propius.  
Summo acumine cum malitia nihil est nocē-  
tius, nihil detestabilius: id verò cum in omni-  
bus, tum maximè in potentibus: si natura leo-  
nes, aut tigres, eo intellectu, iisq; artibus armaf-  
set, quibus homines, nullus cuiquam in orbe  
tutus esset ab iis locus. Homines autem ho-  
minibus leones sunt & tigres, in quibus sum-  
ma est potestas, summaq; malitia cum praestā-  
tia ingenij: qui tyranni appellantur: quo mon-  
stro tætrius excogitari nullum potest, nec sine  
causa ab imis sedibus infernalibus excitū per-  
hibeatur. Contra rege nihil est diuinius, pro-  
fusq; coeleste bonum, is, qui cum in manu o-  
mnia, siue maxima quæq; tenēt bonitate ac be-  
neficentia. Hæc autē vel ipsa complexa est o-  
mnes virtutes, vel ex omnibus, quasi regina v-  
na, emergit siue conflatur. Hoc totius audi-  
tum, & saepè iterumq; à me inculcatum, caue  
vn-

vnquam obliuiscaris: & simul cogites, talem te esse oportere aliquando, vt te esse & tu gaudeas, & alii tecum. Dices te nihil malle, quã talem esse, vnumq; è proximisa ab imperatore vniuersitatis. Maximam id partem in te situm est. Nam cætera abundè habes, quibus pleriq; mortalium excidunt. A Deo sunt omnia, sed de manu quasi sua dedit tibi ingeniũ acre, factam ad virtutem indolem: quod dixi antè, rex pater te iussit educari litteris: regina mater idem vrget: ætas est, quæ pubertatem anteit: initia præclare se habent: fuerunt & sunt duces idonei, qui dies noctesq; cogitant & faciunt, quæ ad te pertinent. Optimè igitur tibi fuerit semper etiam consultũ, si sedulo facies, quod fecisti in hodiernum diem. In omnibus dicto audiens eris, quibus iussus es: eorum vocem, parentum & Dei esse existimans: disces, quæ discenda censuerint: facies, quæ et ipsi monebunt, & facienda didiceris; fugies, quæ fugienda didiceris, & ipsi vetabunt. Hæc sunt rudimenta virtutis, cum omnis in vniuersum mediocris, tum eximia & regia: in quibus quando occuparis, non incurres in vitia, & demum

C 3

virtu-



virtutem eam tibi parabis, quam in te agnoscent omnes, & admirabuntur, cum te ornatissimum principem videbunt, & beneficentissimum sentient. Fugienda autem esse vitia, & expurgandas animi labes intelligis, quas duum generum non inconcinnè Chrysippus docuit. Aut enim perturbationes animi, siue affectus: quorum alii emendandi, alii refecandi sunt: aut peccata, quæ rationis aberratione committimus, ex regula rationis sedulò corrigenda: utraq; quotidiana: in vtrisq; magna, & interdum perpetua opera ponenda, discernendis & auertendis siue corrigendis: in quo aut non laborant, aut sine fructu ferè laborant, qui se non nouerunt ipsi, quod habetur difficilimum, aut ex aliis non discunt, qui sint, quod nec ipsum facile. Qui pueritiæ præsumunt, indices sunt alumnis suis aberrationum: nec aliter initio monstratur recta ad virtutem via, quam cū neq; hac, neq; illa, neq; alia, neq; iterū alia, esse eundem docent. Sic enim certò futurū creditur, vt omnibus deuijs semitis declinatis, ea ingrediaris, qua volumus, qua & ipse vis, & velle omninò debes. Virtus est vitium fugere,  
inquit



inquit poëta: nihil verius. Aut enim virtutem hoc pacto adeptus fueris, aut tam propè ad eam accesseris, vt quasi manu eamprehendas, & tenere per te possis. Idem visum fuit sapientissimo Hebræo, ita tamen Græcè scribenti, vt eum Platoni vetustas comparauerit. Is libello quodam omnia deuia comprehendit, dum nobis ostendit, quidquid ferè est aberrantium. In quorum castris quamdiu quis pertinaciter perseuerat: se sub signis virtutis nondum militare existimet. Sæpè legi eum Philonis locum: etiam quia breuis est, non solum quia illustris: nec unquam sine singulari fructu legi. Sæper enim aliquid vidi nouum siue singulare, antè minus animaduertitum. quod euenire aiunt, & res docet ita se habere, sedulo lectori Græci poëtæ. Hæc utilitas præ altera exigua videri possit. Cum enim in tali speculo me contempler, in næuos animi diligenter inquirens; semper inuenio, quod in me reprehendam, quod emendem, aut in quo corrigendo aliquid enitar, nec vnquam ferè frustra. In quo profecissem & plus, & maturius, si de plerisque edoctus fuisset primùm ætate puerili, aut  
in ado-

aut in adolescentia. Sed fortè hæc ætatem  
primam minus tangunt, vt neq; curæ, quem-  
admodum dicit Euripides. Itaq; teneros ad-  
huc indies moneri oportet, nec vnquam è cõ-  
spectu educatorum discedere: vt ratione &  
comitate, etiam verecundia & metu ingenuo  
in officio retineantur: donec firmas profun-  
dasq; virtutis radices egerint, quæ tamen de-  
inceps muniendæ custodiendæq; erunt, ne eas  
vel subterranei talpæ lædant, neu rostro vngu-  
ibusq; tentent euellantq; infaustæ volucres. In-  
scitia enim cuiusq; magna est, & quisque, sibi  
præsertim, parum videt: tum vero aliorum va-  
ria est improbitas, pæneq; incredibilis, in ani-  
mos nostros miro artificio irrepentium: à qui-  
bus cum omnes sibi cauere, tum filios regum  
oportet. Audiuisti enim nomina calumniato-  
rum, assentatorum, & quocunq; modo place-  
re studentium. Dicam, quod imperitis absur-  
dum videatur: fieri vt neq; quis se falli posse ar-  
bitretur, semper sibi cauens, neq; alter quid-  
quam in animo habeat fallaciæ, in vniuersum  
simplex: & hic tamen, quod nolit, quemq; no-  
lit fallat, & ille fallatur inscius, in qua re mini-  
mè

mè suspicetur. Quicumq; autem & quaecunq;  
 à labore ad voluptatem traducunt, suspecta  
 esse nobis debent. Non enim facilè mihi quis  
 assentiatur, si ea prorsus fugienda dixerim. Sed  
 hoc quoque explicabo. Primum tibi labo-  
 rem, tanquam perpetuum fidumq; comitem  
 in vita sume. Hic enim aut virtutis munus ex-  
 plet, aut ad virtutem ducit; etiam cum id mi-  
 nimè videtur agere, & non nisi abducere ab o-  
 tione & inertia. Hic est ille numus in cælo cu-  
 sus, aureus, an plusquam aureus? quo Epichar-  
 mus monuit deos vendere mortalibus bona.  
 Voluptatem fuge deliciosam, quæ vulgò, sed  
 falsò voluptas dicitur, cui pœna semper comes  
 est: libido appellatur verius seu petulantia: ra-  
 tionis adspernatrix, miseræ machinatrix: stul-  
 titiæ filia, exitii mater. Et quidem hæc hæc-  
 tenus. Multa enim sunt alia, his paria, quæ scri-  
 benti se offerant, & vera rectaq; & tibi regis fi-  
 lio, aliisq; tui loci atq; ordinis, vtilia & sum-  
 mè necessaria: sed modum huic epistolæ siue  
 sermoni ponendum censeo. Volo enim & ro-  
 go, vt hæc ipsa hoc natali tuo legas antè, quàm  
 aliud agas. releges autem, & considerabis ac-

D

cura-

curatius, quum quotiesq; voles. Attigi enim  
quædam hisce litteris, quæ non solum tibi in  
alterum natalem, sed multis deinceps annis  
vsui, & eum hodie non sint ingrata, gratissima  
olim futura sint: quando hæc, quæ quodam-  
modo hodie intelligere videris, multò magis  
seu verè intelliges. Eum diem si qui viuemus,  
gaudebimus. O minor enim futuros ex nobis  
aliquos virtutis tuæ spectatores, & præcones  
gloriæ. Vale. Helmæstadij in Acad. Iul. III.  
Kal. Ian. Anni Iuliani exeuntis. cIo Io xcII.



EIDEM PRINCIPI HVLDERICO

heredi Noruegiæ, duci

Holsatiæ &c.

S. D.

IOANNES CASELIUS.

NON equidem aliud sperabam, princeps  
Hulderice, quàm gratum tibi futurum  
meum erga te studium, quod natali tuo osten-  
di: nunc etiam gaudeo, libenter & singulari cū  
volup-

voluptate legisse te eas litteras, siue cohortati-  
 onem ad te malis dicere. Nec vero erat, vt mi-  
 hi gratias ageres. In ære enim tuo sum, quan-  
 tum persoluere vix vnquam potero. Sic enim  
 de me meriti sunt, quorum in me beneficia,  
 non minus tibi accepta referre & debere, &  
 probè intelligo, nec vnquam dissimulo. Quo-  
 ties ipse audisti prædicantem me, sapientissimi  
 principis, aui tui, & beneficentissimi regis, pa-  
 tris, erga me munificentiam? igitur quicquid  
 facio, eò facio, vt graui debito me liberē, aut si  
 soluendo non sim, conatus tamen meus appa-  
 reat. Quod si vero me insuper de te mereri, tu-  
 aq; beneficia nouis officiis promereri, quòd fi-  
 dele studiū communicationis sapientiæ & vir-  
 tutis facile superat, siue æquat quoduis benefi-  
 cii genus, nec fortè etiam auro, ullouè fortunæ  
 bono rectè aestimatur, ac proinde contra te mi-  
 hi deuinctum, putas; facile patior, te ita singula-  
 riter, nec fortè peperam sentire, aut honestè  
 admodum alucinari. Quod si etiam cogites,  
 de referenda mihi gratia, viam eius rei tibi ape-  
 riam facilem & promptam, mihi gratissimam,  
 vtilissimam tibi, & omnibus, quos tu aliquādo  
 reges.

reges. Rectum est, vt cuiusmodi depromsi, probes & admireris: sed amplius postulamus, vt iis vtaris, nec hodiè tantum, sed deinceps uti non desinas. Iterum audi idem: initia se præclarè habent: hoc est medium tenere: medium autem fini esse propius haud falsò, opinor, creditur, quàm initio: quod tum & laboris potissima pars exhausta est, & sese meta ostendit oculis: ad hanc vero intentius properare etià solemus, quo ad eam propius, seu proximè accesserimus. Hoc ex animo tuo nunquam dimittes, & quod agis hætenus, id ages porrò, vt facilius agas, nec aliud agas, quàm quod sit virtutis regiae. Vin' idem consilium audire ab Epicharmo explicatum? Hic vir sapiens, iubet id vtraq; manu tenere: vt eadem (loquitur nimirum de præceptis sapientiæ) in dies singulos & sermonibus vsurpemus, & ex aliis audiamus, & apud animum cogitemus, & ad vitæ vsus studiosè transferamus. In quibus qui totus est, auerti se in deuia & ingraues errores non patitur. Qui enim hæc agit; nec interea aliud moliri potest, & in rectis iustisq;, in quibus solida est vtilitas, verus honor, & sempiterna gloria, ita se confirmat, vt cum iis pugnantia oderit & detestetur in perpetuum. Quæ omnia splendidè dici, verum est, sed rectè fieri, longè pulcherrimum: atque ea qui fieri non posse autumant; se in iis nihil aut parum admodum conatos fuisse, testatum faciunt: tu quod feliciter capisti, in quo progressus fecisti, in eo perseuera, & exemplum pone tuis æqualibus, quod imitentur, eodemque exemplo tuo doce totas etiam gentes, fieri etiam posse, quod fieri nequaquã posse, nimis diu à plærisque creditū fuit. Vale, & quo pacto iterū ostendi, me tibi magis, & Musas in perpetuū deuinci. Helmæstadii  
in Acad. Iulia. XIII. Kalend.  
Martij. cIo. Io. xcII,

AB

50A  $\frac{2}{h, 12}$


ULB Halle 3  
003 485 560




*Sch*

Rest.  
Sep./Okt 84 Schuss.









B.I.G.

Farbkarte #13



ANNIS CASELII

et doctissimo viro. Da. M.

STRISSIMUM PRINCEPEM Joannem

HVLDERICVM, Sigismundus.

IMI REGIS DANIAE FRI-Superin

rici II. filium, heredem

Noruegiae, Ducem

Holfatiae. etc.

OLA GENETHLIACA



Helmæstadii

emia Iulia. clō Io xcll.

222  
26

24

Joan. Naenick

